



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibvs A Ludovico
Maimburgo, Alijsque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

12. Regis p[ro]p[ri]etaria, ac tande[m] mors. D. Thomæ, & Alexandri PP.
constantia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

dunt, & quod olim solebant, dum amicitia flagraret, diu multumque sermocinantur: & cum Archiepiscopus equo defiliret Regem veneraturus, ejusque pedibus advolveretur, ipse stapedem tenuit, coegitque in equum: articulos etiam pacis, quales Alexander præceperat, subscripsit, signavitque; quæ omnia tanto amoris, & humanitatis sensu peracta, ut immortalitatem promitterent, plerisque, qui spectabant, gaudio, & admiratione defixis, ac etiam lacrymantibus. Paulò post in Gallias redijt, Ludovico Regi, quo tam benigno, liberalique usus fuerat, grates relaturus: nec navigare in Angliam volebat, nisi quæ Ecclesijs ablata erant, prius redderentur; nam Henrici levitatem verebatur: sed victus amicorum precibus, post septimum exilij annum, sub noctem solvit, tenuitque Angliam: nec deerant, qui manifestis indicijs ei mortem præcinerent, nec ipse dissimulabat, (a) litteris ad Alexandrum, & Henricum datis, quæ ultimæ fuerunt.

In littus cum amicis expositum globus militaris excepit, à Londoniensi Episcopo immiffus, & videbantur vim illaturi, nisi metu accurrentis populi prohiberentur; ut enim navim, quæ Archiepiscopum ferebat, cruce insignem, & paulatim littori succedentem videre, continuò affluere, in genua procidere, gaudia, lacrymasque miscere, qui benedictionem præriperent certare, & denique Pastorem tot victorijs, palmisque auctum inter festas acclamationes excipere: nec ipse triumpho suo impar heroem potiùs, quàm exulem agebat, oculis firmis, ac jam Martyrem spirantibus, vultuque impavido, & fortunam ridente; modesto tamen, hilarique. Ut Cantuariam pervenit, repetiti à Clero & populo plausus: crederes Angelum non hominem adventasse, adeò omnia gaudijs, acclamationibus, campanis, organisque strepabant: vexilla, crucisque obviàm progressæ. Ipse ut in Ecclesiam pervenit, toto corpore, & brachijs in crucem explicatis procubuit; tum singulis Monachorum, qui Ecclesiam impleverant, osculum fixit, ac tandem in Palatio quievit.

XII. Sed brevis serenitas fuit, Eboracensi Archiepiscopo novam tempestatem ciente; urgebat istum flagitiorum conscientia, timebatque pace cum Rege factâ, bellum sibi, & promeritas poenas

K 3 à Can-

(a) Vid. lib. 5. epist. 54. & 73.

à Cantuariensi imminere, festinabat ergo prævenire; nec deerat fallis criminationibus color. Querebatur Episcopus Regniq̄ue Primates censuris à Pontifice percussos esse, idque instinctu Cantuariensis navigationem parantis; ijs verò non tam Episcopus, quàm Regem peti, cuius illi causam egissent, & lateri perpetuò harerent: & contemptum augeri, absolutione toties petitâ, negatâque: addebant, infensum esse Henrico Principi, omnèsque vias moliri, eum folio exturbandi. Incendebant Regem hæ voces, aliàs ardentem, rediitque odium adhuc gliscens, nec satis nuperâ pace extinctum: ac tandem cùm celari amplius non posset, palam erupit; dolebat, suspirabatque, ac toto vultu mæror spectabatur: amicis causam quærentibus, sæpe in has voces prorupit, quæ Sancto mortis causam attulere: *Cum uno*, inquebat, *Sacerdote pacem in Regno meo habere non possum, & nemo vestrum me vindicat!* Quæ verba imperantis potiùs videbantur, quàm dolentis, & pro imperio ab illis accepta, qui mortem Archiepiscopi optabant. Condictum ergo à quatuor è primaria nobilitate aulicis in ejus necem. Ipse invicto semper animo, & timoris experte, die, quâ Natale Christi agebatur, Cathedram conscendit, dixit ad populum, & mortem, quam revelatione didicerat, prænuntiavit, ac missionem à suis petijt; id tantâ eloquentiâ factum (quam etiam perorantis lacrymæ augebant, & aura quædam æternitatis vultui, verbisq̄ue infusa) ut templum lamentis, querelisq̄ue audientium personaret. Ubi silentium redijt, non jam lacrymanti & morituro similis, sed iudicem induens, gravi, severâque voce in eos, qui nolent ablata restituere, invehens, anathemate, & diris percussit; erant pleriq̄ue Henrico chari, & in aula præpotentes. Tum sacris perfunctus convivio assedit, hilari, solutoque animo, ac vicinæ morti insultans. Quarto post die, cùm sicarij nuntiarentur, & omnes fugam suaderent, ipse gravi, lentòq; gradu, & velut per otium in Ecclesiam processit, fores, quas alij metu occluserant pandi iussit, armatos excepit, blandèque allocutus est: ac tandem cùm vibrari gladios cerneret, oravit, cervicem inflexit, & manibus ante pectus junctis primum vulnus recepit; tum in genua procubuit, ac tandem in faciem repetitis vulneribus: non gemitum, non querelam emisit, nec aliud dolentis, timentisve argumentum edidit: & quod miraculo videntibus fuit, corpore jam exangui,

exanguis, & tot plagis lacero eadem venustas, idemque color duravit, somno potius, quam morte solutum diceres. Ultima ad ficiarios verba fuere: *Ego pro Deo meo paratus sum mori, & pro assertione justitiae, & Ecclesiae libertate. Quid si caput meum quartis, prohibeo ex parte omnipotentis DEI, ne in aliquo noceatis, sed sint immunes à pena, sicut extiterunt à causa.* Et paulò post. *Deo, & Beatae Mariae, & sanctis hujus Ecclesiae Patronis, & Beato Dionysio commendo meipsum, & Ecclesiae causam.* Nec ultra locutus est, aptavitque ferro cervicem; crederes licarium provocasse commoditate feriendi. Calebat adhuc cadaver, & miraculis abundabat, festinante velut Deo ostentare Martyris innocentiam. Inter alia illud quoque notatum, cum funus Choro inferretur, & pompam, precésque funebres explevissent, elevatâ placidè manu, velut gratias obsequio relaturum adstantibus benedixisse, tum refedit, & tumulo illatus est. Vulgatâ ejus morte, dici haud potest, quantum ubique luctus, & querelarum non Angliam solum, sed universum ferè Occidentem impleverit.

Alexander Papa repetitis nuntijs ex Anglia, Galliâque, ubi necem Archiepiscopi audivit, adeò turbatus est, ut toto oculo publico abstineret, ne suis quidem ad colloquium admissis: Angliæ Legatos, qui purgando Regi advenerant, nec videre sustinuit; tandem Cardinalium hortatu, post dierum quindecim moras, & præsertim quòd Henricum promitterent imperata facturum, duo ex Legatis, Abbas videlicet Wallacensis, & Archidiaconus Lexoviensis auditi sunt, Episcopis Wigorniensis, & Ebriocensis, aliisque exclusis, quòd suspecti haberentur. Cum Henricum nominassent, adeò Pontifex solo nomine inhorruit, exarsitque, ut velut ex condicito ab omnibus clamaretur: *Sustinete, sustinete.* Quippe detestari Regem videbatur, & ne ferre quidem de illo dicentes, ubi tamen Regem innocentem, & quidquid imperaret, facturum esse intellexit, utcunque placatus est, & diras Regi paratas in eos convertit, qui sancti Archiepiscopi necem quovis modo juvissent. Legati dein in Angliam missi, qui causam examinerent. Constat parricidium Rege non solum ignaro, sed etiam dolente peractum esse: enimverò nuntiatâ ejus cæde, stupenti, & attonito similem amici viderunt, cum lacrymis ac squallore sordidum, & Regiam lamentis complentem nullâ majestatis curâ.

Triduum

Triduum latuit, caruitque cibo, & hominum alloquio, omnis solatij, quod molliendo dolori adhibebatur, impatiens, credebantque voluntariâ morte periturum vitæ fastidio, & pudore admissi sceleris, quamvis se ignaro, invitoque. Juravit etiam tactis sacris Codicibus, contra animi sui sententiam eadem Archiepiscopi patrâram, & ejus morti plusquam parentum suorum illacrymarum se esse: consuetudines recens à se inductas abolevit: antiquas moderari ad præscriptum Romani Pontificis promisit: Sacram militiam ad triennium, nisi Alexandro aliter videretur, professus est: ducentis militibus annum stipendium numeravit trecentis in singulos aureis: adjectâ occultâ abstinentiæ, & largitiones in pauperes, preces, & alia expiando parricidio, cujus ipse non causa quidem, sed occasio fuit, crebris in Archiepiscopum querelis; quæ tantâ modestiâ, & pœnitentiâ à Rege alioquin feroce, & iræ immodico accepta sunt, ut Legatis Cardinalibus hæc diceret: *Ecc Domini Legati, corpus meum in manu vestra; scitote pro certo, quod quidquid jasseritis, seu proficiscendi Hierosolymam, sive Romam, sive ad S. Jacobum, vel quidquid sit, paratus sum obtemperare.* (a) Tum Templo ductus, flexisque ad limen genibus absolutus est. Sicarij ad eum omnibus exosi, ut in angulo Insulæ laterent, nullo omnium confortio; imò nec canum quidem, qui porrectas ab eis escas averfabantur; nec triennio supervixere. Qui primum ictum vibraverat, brachium, totumque corpus tabe absumptum est; alij Romam, & Hierosolymas peregrè profecti sunt, & silvis, ac speluncis abditis flagitium luxere perpetuis lacrymis, donec, ut dixi, finirentur. Plerique verò amicorum, & Sancto exilij comites ad præcipuas dignitates provecti sunt: Hubertus Lombardus Romano Pontificatu nomine Urbani III. potiturus, Heribertus sacrâ purpurâ donatus est, Joannes Saresberiensis Carnotensem, Robertus Filioth Herefordiensem, Reginaldus Lombardus Herefordiensem, Ghirardus Conventriensem, Gilbertus Rossensem Episcopatus adepti sunt; alij alias dignitates. Sed Divinæ justitiæ necdum satis litatum erat. Fatale inter Reges Patrem, Filiûmque odium exarsit, & odio pat bellum; & Patrem quidem plerique deseruerant, ac Filium sequebantur, potentiâ, armisque Galliæ Regis, cujus Filiam duxerat,

(a) Vid. lib. 5. epist. 88.

rat, succinctum. Consilium ergo cepit Martyrem placandi, ejusque tumbam adeundi; cui Northmanniam, aliasque Provincias ab hoste infestas liberandas reliquit: ipse mare ingressus est, appulitque; ubi in conspectum Ecclesiae Cantuariensis venit, abjectis regijs insignibus, nudusque pedes processit; eratque spectaculum retrò saeculis invisum, cernere Regem tot victorijs felicem, & cum exercitus duceret, hostibus suis formidandum, delitijs, annisque florentem, nudatis nunc pedibus, & luto squallidis, oculis solo defixis, ac lacrymas depluentibus, lineoque tantum amiculo seminudum corpus velante, tacitum trementemque plateam metiri; quo spectaculo tota Civitas in lacrymas fluxit. Ubi Ecclesiam subiit, eam diem noctemque inter preces consumpsit, somni cibi que expertem: scapulas etiam plagis subiecit, quas ab Episcopis quinas accepit, à Monachis verò duas super octoginta: consuetudines illas, quæ materiam incendio præbuere, penitus abdicavit: ac tandem Sacris, quæ in memoriam Martyris peracta sunt, adfuit summâ animi pietate, ac demissione; quo ipso momento Scotiae Regem inter præcipuos Henrici hostes, florentissimis copijs cinctum, pauci ejus milites palantesque ceperunt. Secuta eodem anno pax, & res totâ Angliâ compositæ, non dubio Martyris auxilio. Quis jam non crederet propitium, placatumque Numen tot pœnis aut immisilis, aut sponte susceptis? nec tamen vindictæ satis. Duo ejus Filij immaturâ morte sublati, inter quos Henricus primogenitus; cum tertio usque ad mortem bello conflixit, cui etiam diras imprecatus est: ipse tandem, si Rogerio credimus, felici, & paratâ morte, ac peccatis confessione, sacroque epulo positus, extinctus est: alij miserè defunctum volunt. Illud certum est, ab eo tempore, quo adulantium artibus corrumpi cepit, & cum Archiepiscopo collidi, vertisse fortunam, & perpetuis malis, domi, forisque conflictatum esse. Et hic quidem tam longi certaminis conflictus fuit: cui enarrando equidem immoratus sum, quòd Regalia illi exercendo materiam suggesserit. Ubi simul Ecclesiasticæ libertatis egregium specimen luxit. Atque ut tunc in Anglia, ita hâc tempestate in Gallia pari ferè causâ, & iisdem momentis, similique acie pugnatum fuit: non Gallia suus Thomas, non Alexander, non Londoniensis, non Eboracensis Episcopi defuere:

L

paria.


paria exilia, parésque ærumnæ, & si sanguis defuit, lacrymæ compensârunt. Quantis in Anglia rationibus, aut potius insidijs pugnatum est, ut Ecclesia Aulæ serviret? quantis mendacijs actum, ut veritatem, & justitiam opprimerent, uno tantum Archiepiscopo pexas? Et hunc arrogantia, fastûs, proditiõnis, pertinaciæ, imprudentiæ, peculatûs, ac ut nihil calumniæ deesset, læfæ Majestatis accusârunt, imò & effecerunt, ut talis crederetur; quippe innocentiam fastidimus, cum misera est, & ided gravis. Et quid tandem tanto mendaciorum apparatu factum? ut prosciberent, ut exosum Principi redderent, ut occiderent? omnino: sed non ided victores; cecidit ille, & veritati sanguine litavit, ac tunc primam in palmas effloruit: tunc innocentia erupit, tunc veritas agnita, tunc Deus, & Ecclesia causam decidit, ista cultu, ille miraculis: abolitæ consuetudines, calumniæ proditæ, persecutores pœnitentes, & puniti, Rex ipse odia veneratione, & amore commutavit, & sic vicit innocentia. Exadverso Londoniensis, & Eboracensis Episcoporum memoria, qui tunc aulam gubernabant, abolita est, nec aliter ipsos posteritas, quàm ut sacrilegos, & impostores notabit. Quòd si sanctus Archiepiscopus aulæ cessisset, turpique obsequio brevem illam, & fallacem pacem omnique bello pejorem redemisset, & ille Martyris gloriâ, & Ecclesia pulcherrimo exemplo careret. Falluntur ergo, qui ut pacem Ecclesijs suis, aut potius sibi concilient, eas Principum voluntati dedunt, & ne prælio quidem tentato signa submitunt. Non hæc Apostolorum, aut Martyrum militia est, quibus à Deo mandatum: *Ecce constituis te super gentes, & super Regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & plantes. Tu ergo ne formides à facie eorum. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram Regibus Juda, & Principibus ejus, & Sacerdotibus, & Populo terra, & bellabunt adversum te, & non pravelebunt, quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.* (a)

Cæterum ut in D. Thoma insigne fortitudinis exemplum, ita in Pontifice Alexandro constantiæ, & prudentiæ habemus: quot ille omnium Principum, imò sancti ipsius querelis pulsatus est, quòd Regem anathemate non feriret? Et cum tamen cuncta-

retur

(a) Jerem. i.

retur meliorum spe, ac pejorum metu, quàm acerbè in aulam con-
clamacum? Roma nullum innocenibus jus dici, nec asylum veritati, sed poten-
tiæ dari; vincere, qui plus auro, non justitiâ valeret: Pontificem tot precibus,
Legationibus, & literis in Angliam missis quid aliud effecisse, quàm ut ostenderet
contemni se posse, & patrocinia innocenibus data intra verba consistere, obstinato
interim Rege, & Alexandrum semper minantis, & nunquam ferientis habitu ri-
dente. Roma omnes misereri, neminem succurrere, & idè tot malis à Deo premi,
quod oppressis non subveniret. Hæc palàm, & ab omnibus dicebantur,
qui Angliam fulminari volebant, sed immoto Alexandro; qui
cum hæc severitate, & Regem perdi videret, cogique in defectio-
nem, nec tamen Archiepiscopo subveniri, maluit ferro abstinere,
& ægrum si non sanare, at saltem nec perdere. Quod quàm pru-
denter ab Alexandro factum sit, exemplum Henrici VIII. Angliæ
Regis postea docuit, tot lacrymis deploratum, & necdum deletum.



§ IV.

INNOCENTII XI Pontificis Maximi, contra
Regaliæ abusus Decreta, & curæ; & quàm im-
meritò ab aliquibus notata;

SUMMARIÆ.

1. *Multa in Gallijs Ecclesiæ Decreto Concilij Lugdunensis, & quatuor seculorum beneficio à Regalia libera, idq. Episcopi Galli agnoscunt, & tamen Edicto Regio subscribunt, & quas ob causas?*
2. *Soli Episcopi Alecctensis, & Apamiensis causam sustentant ab alijs metu desertam, quod ipsorum testimonijs ostenditur. Apamiensis exilium, & mors.*
3. *Vicarijs ab Apamiensi Capitulo electis alijs à Tholosano Archiepiscopo oppositi, sed nullo jure. Nova, & sæva persecutio.*
4. *Alia in Monasterio Carronensi turba.*